UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Ivstvs M. 18. Octobris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

Visual Library

in omni itinere, quin adeò in vinculis Achates, Chriſti primò vitam mortemque, tum, quæ Apoſtoli alij fortiter fecerunt, perſcripſit. Abiit è vivis cùm annum ageret quartum ſupra centeſimum, & tunc etiam memor medicum ſe eſſe, ægris vel è tumulo medicinam, oleum ſalutiferum propinavit. Illud pænè memoriam fugiſſet. Primus fuit LVCAS, qui MARIAM felici manu depingeret, in eâ tabellâ, quæ etiam hodie miraculis lucet, dignus profectò, cujus penicillum Mariani omnes imitentur, idem in animis faciendo, quod LVCAS in tabellâ fecit. *Ex tom. 1. Baron.*

Recurramus ad innocentiam primitivæ Eccleſiæ, ut diſcamus & poſſeſſa relinquere, & in regia paupertatis ſimplicitate gaudere. Non nos à cæleſti itinere carnalis illecebræ retrahat lenocinium, quibus per præcedentis Redemptoris introitum patet aula cælorum. Pet. Dam. ſerm. de S. Luca.

S. IVSTVS M. 18. Octobris.

DOmi cum parentibus IVSTVS puer, at in ſervitute frater Iuſtinianus agebat. Igitur nec ſinus jam matris, nec oſcula patris arridebant IVSTO, quæ dividere cum germano non licebat. Multis proin lacrymis perſuadet tandem patri, ſecum ereptum è ſervitute fratrem eat. Itur. Ambianum venitur. Hîc etſi IVSTVS fratrem numquam vidiſſet, inter multa tamen mancipia continuò agnoſcit; indicium cognato intùs ſanguine faciente. Sic dimidio ſui jam auctior dum domum redit, à Ricciovaro equites adſunt. IVSTVS postquàm ſpelæo patrem fratremque abdidit, obvius it exploratoribus. Scilicet hi mortem intentant, nî comites prodat. Sed negat ille didiciſſe ſe pa-

parentes prodere; id vel tum oſtendiſſe, cùm caput pro libertate fratris objeciſſet. Dicenti hæc crudelior cæteris caput aufert. Sed ecce truncus Martyris ſuis ipſe manibus hoc amplexatus humo attollit. Diffugiunt monſtro perculſi equites, & ad triſtem aſpectum exclamat pater fraterque. Verùm ſolatur utrumque IVSTVS: nempe officium ſe filii feciſſe, vitam, quam à patre accepiſſet, reddidiſſe. Demùm caput ſuum offert, mandatque, matri ferant tumulandum. Id cùm factum eſt, tanto lumine ædes maternas complevit, ut ſua etiam oculis cæcæ puellæ lux rediret, puto, ut, qui in IVSTO illuſtre ſive in fratrem ſive patrem pietatis exemplum non videt, etiam cæcis minùs ſe videre videat. *Ex Surio.*

Si propter proximum Chriſtus ſanguinem effudit, quid magnum facis, ſi per exhortationem jacentem erigas? Quinimò, ſi periclitandum etiam fuerit pro ſalute alterius, non ſubterfugiamus. Nam id nobis ſalutis erit occaſio, multamq́; conciliabit fiduciam. S. Chryſoſt.

S. VARVS MART. 19. *Octobris.*

VIdit & perſæpè laudavit Ægyptus VARI militis virtutem, ſed numquam magis, quàm cùm in ipſum Imperatorem ſuum Maximianum pugnavit, ſine perfidiâ, quia pro fide. Pugnæ verò occaſio hæc fuit, Septemgemini Martyres è vinculis libertatem Chriſtianam propugnabant. His dum VARVS inſervit, ecce uni ex eorum numero cælum beatâ morte vacationem à militiâ donat. Sed ne numero ſuo fortiſſima cohors deſtitueretur, ultrò VARVS noſter in demortui ſtationem ſuccedit. Mox Chriſtianæ fortitudinis ingentia documenta contra equuleum, ſcorpiones

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN